



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

XXVI. De æterna laude Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)



In omni igitur opere quod agis, et in quocumque loco fueris, quocumque pergis, et quacumque transis, memor esto finis vitæ, et ultimæ horæ quam nescis.

*Phil. 1.*

Felix, qui cupit cum Paulo dissolvi, et esse cum Christo. Hoc enim multo melius, quàm in carne diutius vivere, et à Deo peregrinari, et in fluctibus seculi qualari et turbari.

Desiderans esse cum Christo.

Si Jesum in mente semper geris, et ad eum quotidie oras, tunc utique fiduciam habebis de regno ejus, qui ait: *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.*

*Ioan. 12.*

*Matt. 25.*

Beatus ille servus, qui meruerit audire in extremis dulce verbum Christi; *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

CAP. XXVI De aterna laude Dei, & de desiderio aterna gloria.

Ad Deum omnia refer.

**L**auda anima mea Dominum, à quo omne bonum pro-



procedit, et nunc et in æternum permanebit.

Ad ipsum ergo omnia referre debes, sicut ad omnis boni principium et finem; et cum magna gratitudine ipsum intime laudare: ut iterum in te fluant dona cœlestis gratiæ largiori munere, donec pervenias ad fontem perennis vitæ. et ad patriam claritatis æternæ, et visionem divinæ præsentis et gloriæ.

Nil quippe tibi melius, nil salubrius, nil suavius, nil jucundius, nil dignius, nil altius, nil felicitius, nil perfectius, nil beatius, quàm ardentissime amare, et altissime laudare Deum.

Hoc centies dico, hoc millies replico. Nullum studium elegantius, nullum opus eminentius, quàm amare et laudare Deum creatorem ac redemptorem tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis.

Hoc age quamdiu vivis, sentis, et intelligis: hoc perfice opere et sermone. die ac nocte, mane, meridie, vespere, omni hora, omniq; momento.

**Ama &  
lauda  
Deum,**

**Nihil potes agere excellentius, vel utilius.**



2. Pro posse & nosse, integre,  
pure adhære semper Deo: ut sit  
Deus omnia in omnibus, ante om-  
nia & super omnia à te dile-  
ctus, benedictus, laudatus, & su-  
perexaltatus in secula, & tibi be-  
ne cum eo sine fine.

*Luca 1.*

Exulta ergo anima fidelis in  
Domino Deo tuo, sicut beata  
virgo Maria exultavit in Jesu sa-  
lutari suo.

Exulta & lauda Deum tuum,  
qui te fecit & redemit, quia de-  
bitor Dei es in valde multis &  
magnis beneficiis, & quotidianis  
bonis tibi benigne collatis; pro  
quibus omnibus plene & digne  
Deo regratiari nunquam sufficis,  
etiamsi Angelus sanctus esses.

Attamen lauda & gratias age,  
ut homo mortalis, misericordia  
Dei indigens, & eam semper  
quærens & implorans. Non ces-  
ses orare & laudare Deum.

Licet sæpè cadis, peccas, &  
etiam offendis; non tamen inde  
desperabis, sed magis te humilia-  
bis & orabis.

Ama & amaberis; quia amor  
omnia mala præterita emendat,  
pur-

Nea de-  
terreant  
te fre-  
quentes  
lapsus:  
Quos  
charitas  
purgat.



putgat, & sanat, illuminat & accendit; fugat, tristitiam, & parit cordis gaudium; quale mundus non novit, nec caro & sanguis sentire valet.

Lauda Deum, & laudaberis; benedic, & benediceris, sanctifica, & sanctificaberis, magnifica, & magnificaberis; glorifica Deum & glorificaberis ab eo in corpore & in anima.

3. S. Sed quando erit hoc Domine? Quando replebis os meum laude perpetua, & exultabit cor meum & anima mea cum Sanctis tuis in gloria tua?

Anhela  
ad Deum  
perpetuo  
laudandum;

D. Sustine tempus ad modicum, & videbis mirabilia magna cum sonuerit tuba novissima. Tunc dabo Sanctis meis, pro omni labore & dolore requiem & vitam æternam. Quid vis amplius?

S. Prorsus nihil. Tu solus sufficis mihi Deus meus, qui das vitam æternam amatoribus & laudatoribus tuis, pro parvis imensa, pro infimis summa, pro perituris æterna.

Qui solus  
sufficit  
laudanti-  
bus se.

Da te ipsum Deo, & totum

Si 3

quod



quod habes; da ei, quicquid agis, scis, et vales, et eris ditior et charior Deo quam tuisti.

2. Cor. 6,

Dic cum sancto Paulo: *Tantum nihil habentes pro proprio, & omnia possidentes in Deo.* Quasi viles et pauperes, ac tristes in hoc mundo; sed divites ac hilares semper in Domino, certi de futuro præmio in cælo.

Suspiria  
ardentis  
animæ ad  
Beatitudinem.  
cœlestis  
patriæ  
anhelantis.

4. D. O Domine Deus, salutare vultus mei, et Deus meus; quando lætificabis me in regno tuo, clarissimo vultu tuo?

O quando illuminabis omnes tenebras meas splendore lucis æternæ? Quando auferes omnia obstacula mea de medio cordis mei, pax vera, beatitudo summa, et felicitas perfecta?

O quando sine omni impedimento contrariorum, sequarte secure et libere, quoscumque ieris Domine?

O quando oculis meis clare te videbo sine speculo, sine ænigmate, sine parabolis, sine figuris, sine quæstionibus, sine dubiis, sine opinionibus, sine interrogationibus à magistris?

O quan-



O quando omnia sciam, quæ  
credo in Scripturis sanctis, & le-  
go in libris variis; & audio auri-  
bus meis à lectoribus in multis  
locis, de Deo meo, de Angelis,  
& omnibus Angelorum choris;  
de gloria & beatitudine cœlestis  
patriæ, de pace & ineffabili gau-  
dio civium supernorum?

O quando ibi ero? Quando  
veniam & apparebo in conspectu  
tuo, & contemplabor lætam fa-  
ciem tuam, & gloriam regni tui,  
cum Cherubim & Seraphim &  
omnibus Sanctis?

Sed nondum venit hora illa,  
clausa est adhuc ante me cœli  
porta; ideo gemo corde, ore,  
quamdiu hic fuero, donec ve-  
niam ad te Deus meus.

CAP. XXVII. *De laude Sancto-  
rum Angelorum in cœlo.*

**I**N conspectu Angelorum psal- *Psal. 137.*  
lam tibi.

O Rex altissime, Deus summe  
laudabilis, creator omnium re-  
rum, Angelorum & Hominum;  
quamdiu morabor in terra, &